

Cum totius sanctissimae ordines christianitatis hoc¹ solae karitatis vinculo, scilicet teste apostolo² perfectionis nectantur compagine, ut, licet locorum vastissima seu condicionum dividantur intercapedine, cor tamen et animam unam ut habeant, omnimodis elaborare operae precium sit: tum vero permaxime isti inter spiritalium carismata donorum primum [locum³] tenenti dare operam virtuti nostrae professionis homines debere neminem latet sapientem. Quapropter paternitatis vestrae apices inspecti piissimi patris vestri, domini videlicet⁴ Maioli⁵, ad meliora transitum, dudum antea⁶ quidem fama ferente compertum, dum enunciarent: maerore plurimo, sed gaudiis permixto, nimium, fateor, nos affecerunt. At⁷ gaudendum enim illi censemur, qui, quoad vixit, adeo spectatissimam in rebus Dei vitam exegit, ut idem mundo mortuus qua gloria Christo iam vivat, diversa per sanitatum dona divina gratia eius ad tumulum non velit incelatum⁸. Maerendum autem nobis dignum arbitramur, quibus caelestis incolam paradisi, cuius mortalium multi instruebantur, emendabantur seu mundo spreto ad divina sectanda animabantur exemplis, ulterius habere non est concessum. Unde petitionis vestrae haud surdi auditores, quamquam divina gratia eum sanctorum angelorum electorumque Christi coetibus, ubi nil laetitiae perfectionisque deest, vere credamus ascitum: tamen munia precum ac missarum sollempnia venerandae illius memoriae impendentes nomenque martyrologiis nostris assignantes hac spe inducimur, quatenus huiusmodi condicione devotissimos oratores suos recompenset, ut, cui nostrae tempore mortalitatis devotionis officium impendimus, ipse ab aeterno iudice erratum veniam vel immortalitatis gloriam nobis impetrare non differat. Oramus autem obnix⁹, nostrorum nomina fratrum sup̄ adnexa cathalogo vestrorum adscribi mentionemque illorum temporis annui cursu haberi, quod quidem vestris gratanter exhibebimus, ne oneri ducatis.

Hos vitalis adhuc retinet praesentia lucis,

Obsequium Christi peragentes mente benigna.

Isti, munde, tuum spreverunt denique vultum,

Quo faciem Christi iam semper ubique viderent.

1) 'hac' Hs. 2) Coloss. 3, 14. 3) Von mir ergänzt. 4) Oder 'scilicet' Hs. 5) Am Rande 'Poecalii' oder 'Poecalis' kaum zu erkennen, anscheinend von derselben Hand. 6) 'aetatem' Hs. 7) 'Ad' Hs. 8) Vgl. Rod. Glaber Hist. II, 7; Odilonis V. S. Maioli (Bibl. Clun. col. 228); Miracula S. Maioli II, c. 3. 9) 'quo nostrorum' Hs.